



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus V. De Litis Contestatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)



TITULUS V.

De Litis Contestatione.

SUMMARIUM.

1. *Istā Judicium strictè acceptum inchoatur.*
2. *Exigit autem petitionem Actorū,*
3. *Et Rei responsionem,*
4. *Super negotio principali,*
5. *Purè & fere integrè factam,*
6. *Atque Actoris contradictionem.*
7. *Quid sint Positiones & Articuli?*
8. *Illā sola non inducunt Litis contestationem,*
9. *Animum litigandi & presentiam judicis:*
10. *Non tamen necessariò utriusque litigantis, exigentem.*
11. *Litis contestatio est de substantia judicij:*
12. *Non tamen Summarij:*
13. *Neque semper Ordinarij.*
14. *Eam contestari renuens non cogitur:*
15. *Nisi renuat sine justa causa.*
16. *Litis contestatio impeditur Dilatoriā:*
17. *Aliquando etiam Peremptoriā exceptione:*
18. *Nisi hac tendat ad elidendam, quā nata est, actionem.*
19. *Illā factā I. firmatur jurisdictione Delegati.*
20. *II. Litigantes ad instantiam obligantur.*
21. *III. Non mutatur Libellus.*
22. *IV. Prescriptio longi temporis impeditur:*
23. *Non tamen reus in mala fide semper constituitur,*
24. *Licet fructus ex litis contestata die percipiendos restituere teneatur,*
25. *V. Perpetuantur actiones Temporales,*
26. *VI. Ex delicto descendentes transeunt ad & in heredes.*

Judicii latius Citatio, ut in hujus Libri Proëmio monui: strictè autem & propriè accepti exordium Litis contestatio est, *c. Super questionum* 27. pr. junctā Gloſā V. *Litis exordium, de Offic. jud. deleg.* quia ante eam non dicitur quis agere vel petere: sed agere vel petere velle, *l. Amplius 15. ff. Rem ratum haberi.* Oblatō itaque ab actore judici, & per hunc reo cum, vel post citationem exhibitō Conventionis Libello; eique ad deliberandum &, si quas habet, fori declinatorias exceptiones opponendas concessō & exactō tempore, reus, si liti non cedendum, sed contendendum existimet, coram giudice comparere, & cum actore, ejus intentioni & petitioni contradicendō. litem contestari debet.

Est autem litis contestatio à Testibus, in judicium adduci olim solitis, ita nuncupata, Gonzalez *in c. Unic. num. 6.* Fundamentum sive principium Judicii per petitionem in jure propositam & congruam responsionem secutam animō litigandi, ut ex *c. Unico cit. & c. Dudum 54. V. Licet autem, de Elec. cum Hostienli in Summa*

Summa, hęc Rubr. n. 1. defumunt Fagnanus *in c. cit. n. 5.* & Laiman *ibid. n. 2.* Secundum quam definitionem

Ad litis contestationem quatuor: & Primò quidem requiritur Petitio actoris; neque enim sufficit sola narratio facti, in libello saltem Conventionali; quia per eam nihil petitur à reo, neque se agere velle ostendit actor, Glossa *in c. cit. V. Responiones.*

Secundò Responio rei, quã iste actoris petitioni contradicat, narrata, ut narratur, vera esse, & petita, ut petuntur, deberi; ac proinde Jure peti, sive petitionem fieri posse, negandò, *l. Rem non novam 14. §. 1. ibi. Post narrationem propositam & contradictionem objectam, C. de Judicis;* nam sine contradictione explicita vel saltem implicita lis esse non potest, *l. Proinde 25. §. 2. ff. ad L. Aquil. Baldus in c. Dudum cit. n. 19. & Fagnanus l. cit. n. 23.*

Debet autem hęc Responio, ut litis contestationem inducat, Imprimis esse super negotio principali, sive eo, quod principaliter ab actore proponitur in libello; ut vg. si actor fundum sibi venditum petat, reus hunc ipsi non deberi; ac proinde ad eum petendum actionem non competere, reponat, ut *in c. Unic. cit. cum Innocentio num. 2.* monet Fagnanus *n. 25.* Deinde eadem responio debet esse pura, & non conditionata; quia litis contestatio est actus legitimus, qui conditionem non recipit, *Reg. Añs 77. ff. §. 50. in 6. Vallens. ad hanc Rubr. §. 1. n. 6.* Demum integra; ut libellò expressã actoris petitioni adæquetur; & quando eò plura petuntur, ad omnia respondeatur; itaque litis contestatio sit plena, arg. *l. Cum una 17. ff. de Appellat.* Cujusmodi plena & curiã Romanã usu recepta litis contestatio, licet juxta dicta sit, quã reus, narrata, ut narratur, & petita, ut

petuntur, vera esse generatim negandò respondet, teste eodem & *cit.* Fagnano *n. 27.* nihilominus, si ab actore narrata & petita essent plura, & rei negatione neque omnibus, neque certis quibusdam, in libello narratis ac petitis, contradiceretur, eã propter responionis incertitudinem plenam litis contestationem induci, aliqui DD. negant: & ad hanc, ut quæ libelli capita negentur, specificè exprimitur, requirunt apud Haunold. *Tom. 5. de J. & J. tract. 3. n. 419.* monentem, casu, quò reus ad plurium actoris petitionum unum duntaxat responderet, litem non plenè, sed quoad illud solummodo petutum, pro contestata habendam, & litis contestatæ effectus parituram, *n. 425.* Unde

Dubium nascitur, an litis contestatio fieri nequeat verbis Affirmativis. Affirmant id aliqui cum Glossa *in c. Unic. cit. V. Responiones,* pro exemplis adducentes ab actore petiti debiti confessionem à reo factam animò litigandi; & casum Lugdunensem, quò ad ineptum actoris libellum Presbyter reus; quòd, in causa procedi, suã interesse animadverteret, illo narrata vera esse confessus est, & petitionem solummodo fieri non debere, attonitis, & advocati, hujusmodi cum confessione conjunctam contradictionem reo suggerentis, consilium mirantibus iudicibus, respondit. Unde DD. isti litis contestationem in Negativam & Affirmativam partiuntur. Hęc tamen partitio meritò displicet *cit.* Haunoldo *n. 415.* quòd ad litis contestationem à reo objecta contradictio disertè exigatur *l. Rem non novam §. cit.* Ratio est; quia litis contestatione constituitur iudicium; cui locus non est, & sententiã proferendã materia desideratur, cum, quod actor narrat, esse verum; & quod is petit, deberi, reus affirmat. Unde tali casu ju-

casu iudicis partes aliæ esse non possunt, quàm præcipere; ut reus, quod confitetur, debitum solvat.

Neque aliud persuadet casus Lugdunensis; quia in eo, hõc ipsõ; quõd, petitionem fieri non debere, actori fuerit responsum, huic apertè contradicendum est: neque aliud, quàm litis contestandæ modus, omnino insolitus, admirationi iudicibus fuit, ut testatur ipse, qui eam litis contestandi rationem Presbytero suggestit, Hostiensis *inc. cit. n. 14.*

7. Dubium secundò est, an litis contestatio inducatur per responsum ad Positiones. Sunt autem Positiones breves quædam narrationes facti, ad causam pertinentes, & ad veritatem eliciendam conceptæ, super quibus, ut à probandi onere relevetur, ab adversario sibi responderi, actor petit: quibuscam, etsi litium abbreviandarum studiõ Articuli hodiernâ praxi soleant confundi, propriè tamen accepti Articuli eæ tantum positiones sunt, quas adversarius negat: & à ponente per testes, instrumenta aliæque idonea argumenta probandæ, & iudici denuõ sunt offerendæ, *cit. Maranta p. 6. acti 4. & Gaill. Prætic. Lib. 1. Observat. 79. uterque dñ. 1.* Atque huiusmodi positiones esse claræ & breves, nihilque superfluum, hoc est, ad negotium sive causam principalem impertinens, continere debent: & quia ex parte ponentis pro confessionibus habentur, Glossa *in c. 1. V. Statuimus, de Confessis in 6.* ut eas perinde, ut alias confessiones judiciales, revocare nequeat, nisi de errore suo legitimè doceat, arg. *l. Cum precum p. C. de Libera li causa, Speculat. Tit. de Positionibus §. 8. n. 1. & cit. Gaill. n. 6.* ponenti sollicitè curandum est; ne intentioni suæ contraria temerè ponat: sicut contingeret, quando agens Rei vindicatione in positionibus, te ejus possessorem; aut retinendæ

Possessorium intentans, adversarium possidere, confiteretur; quia ita succumberet victus suamet confessione, ut cum *cit. Glossa & Speculat. §. 10. n. 9. idem Gaill. n. 9.* observat. His præmissis,

Solis Positionibus & Responsonibus ad eas litis contestationem non induci, *c. Dudum 54. V. Licet autem cit. & c. Unico hie Rubr.* clarè decisum, & non minus clara ratio est; quia ad litis contestationem necessaria est Petitio: quæ in positionibus desideratur; cum, qui ponit, nihil petat, sed solummodo factum aliquod narret, ut *in c. Dubium cit.* notat Baldus *n. 16.* Accedit; quõd positiones fieri ante litis contestationem possint; cum ante eam locus sit probationibus exceptionum dilatarum, *vg. incompetentiæ, vel suspitionis iudici, vel excommunicationis actori objectarum:* ad quarum relevationem positiones adhibentur, ut *in c. Unico cit.* cum Ant. de Butr. *n. 8.* rectè observat Fagnanus *n. 46.*

Tertiò, ad litis contestationem requiritur Animus litigandi; quia litis contestatio dependet ab animo rei, petitioni actoris, non iudicii declinandis, sed cum eo subeundi intentione, contradicentis, *§. 1. cit.* Animus autem iste in dubio ex facta petitione & contradictione utriusque partis adesse præsumitur, quoties verba apta sunt ad eum & contestationem significandam: & actor vel reus non protestatur, ea non tanquam iudici & animò litigandi, sed solummodo tanquam amico vel domino, ad eum præcisè informandum proferri, Fagnanus *l. cit. n. 42.* & Jordanus Lucubr. *Lib. 14. Tit. 5. n. 5.*

Quartò; ut in Jure, sive iudicio, & coram iudice fiat, ut colligitur ex *V. Licet autem cit. c. 1. de Mutuõ petit. §. 1. Voluit. 4. ff. de Interrogat. in jure fac.* aliàs enim, ut *in c. Unicum cit.* Panormit. *n. 11.* observat, ubicunque quid ab aliquo peteretur,

Preterea, isto negante, litis contestatio induceretur, itaque iudicium sine iudice constitueretur: quod utique est absurdum, Fagnan. l. cit. n. 17.

10. Exigi etiam à non paucis cum Hoffensi in c. Unic. cit. & Bartolo in l. 1. c. hâc Rubr. n. 6. solet; ut responsio fiat, actore per se vel per procuratorem praesente. Quorum Opinio, etsi desumi videatur ex Auth. Qui semel C. Quomodo Et quando jud. sent. ubi, quòd actor portectò libellò, recesserit, in causa, quasi lite non contestata, proceditur. Sed contrarium receptum est praxi plurium tribunalium, praesertim Ecclesiasticorum, introductà, & firmatâ auctoritate Rotæ Romanæ: in qua litis contestationem, etiam parte absente, imò ex intervallo fieri posse, & consuevisse, testes sunt Panormit. & Felinus apud cit. Fagnanum num. 38. Neque hæc praxis aliena est à ratione; quia libellò, per actorem in iudicio semel oblatò, ejus petitio durat usque ad responsionem rei, arg. l. Eun qui 22. ff. de Probat. & pro eo etiam absente, semper loquitur scriptura, l. Non figura 38 ff. de D. & A. eamque ob causam, reo etiam ex intervallo respondente & contradicente, litis contestatio simul facta censetur propter concursum animorum: cujusmodi animorum concursus si propter actoris à iudicio & petitione recessum desideretur, in proposita ab eo causa non aliter, quam lite non contestata solet, procedi potest. Unde

11. Dubium oritur, an litis contestatio sit de substantia iudicii, Regulariter eam de Ordinarii sive plenarii substantia esse, receptum à DD. & clarè traditum est à Gregorio IX. propter ejus omissionem totum processum & omnia acta irrita declarante, c. Unico cit. idque optimo jure; cum enim litis contestatio lapis angularis, fundamentum ac basis sit iudicii

Ordinarii, ut colligitur ex c. Super cit. pr. V. Intentionis l. 1. & Auth. Offeratur. C. hâc Rubricâ, sicut sine fundamento construi ædificium, can. Cùm Paulus 1. q. 1. sic sine litis contestatione ejusmodi iudicium constitui nequit; ac proinde ea neque expressa conventionione, neque tacito consensu partium, neque auctoritate iudicis omitti potest, arg. l. Jus publicum 38. ff. de Pactis, Gaill. Lib. 1. Observat. 75. à n. 1.

Dixi tamen, Ordinarii & Regulariter. 12. Prius; quia de summarii substantia, sicut oblationem libelli, sic etiam litis contestationem non esse, patet ex Clement. 2. de V. S. Posterius; quia de iudicii etiam Ordinarii substantia litis contestatio variis casibus non est; &

Primò quidem, cum id agitur coram Papa vel alio Principe supremo; hic enim, cum supra Jus humanum sit, l. Princeps 31. ff. de LL. sicut alia, sic etiam litis contestationem eò introductam omittere, ejusque defectum sua auctoritate supplere potest, arg. c. 1. de Transact.

Secundò, in causis Appellationis à sententia etiam definitiva: dummodo tamen in prima instantia fuerit facta, & in secunda à partium altera non exigatur; quia litis in prima instantia contestata effectus extenditur ad secundam, c. Petrus 85. de Appellat. cum diversitas instantiæ non faciat diversam causam, cit. Gaill. Observat. 76. n. 2. & Haunold. Tom. 5. de J. & J. tract. 3. n. 427, qui tamen moment, in Camera Imperiali in omnibus causis ad eam devolutis opus esse litis contestatione, sive à definitiva, sive ab interlocutoria tantum sententia sit appellatum: exceptò casu Nullitatis notoriæ, sive ex ipsis iudicii actis apparentis; quia hanc iudex appellationis, etiam parte non opponente vel potente, attendere ex officio debet l. Quadam 41. ff. Famil. heredit.

Tertio, in quibusdam Spiritualibus & aliis causis ad sequentem Rubricam declarandis: in quibus tamen & generaliter, quandocumque liti contestatio necessaria non est, primus actus, post eam alias exerceri solitus, vim habet contestationis; ac proinde eò ipsò; quòd iudex de causæ meritis incipiat cognoscere, pro contestata lis habetur, ut notat Maranta de Ord. judic. p. 6. memb. 10. n. 2.

14. Dubium secundò est, an reus ad litem contestandam possit compelli. Jure non posse, quando eam contestari renuit ex justa causa, vg. quòd de propositis fori declinatoriis & aliis dilatoriis exceptionibus priùs sit cognoscendum, c. Inter 20. de Sent. & re judic. & contra cogi posse, quando nullà justà causà, sed præcisè ad liti contestatæ effectus aliquos impediendos id facere recusat: & si iudicis præcepto non obtemperet, actorem ex primo decreto mitti in possessionem bonorum, ista sequestrari, pignora capi, contumacem excommunicari, incarcerari &c. posse, satis convenit inter DD. & ex dicendis Tit. 14. à n. 41. plenius constabit.

Litem etiam pro contestata haberi posse, aliqui affirmant propter textum l. De astate 11. §. 4. ff. de Interrogat. in iure fac. ubi, qui contumaciter non respondit, perinde ut, qui negarit, habetur. Quorum opinio, licet Camera Imperialis, aliorumque tribunalium praxi recepta sit, Jure tamen Canonico, saltem in causis in foro Ecclesiastico agitatis, si reus respondere renuat, litem pro contestata non haberi, satis clarè traditur, c. 1. & c. Accedens 2. Ut lite non contest. ubi, reo præsentè & cum à iudice sæpius jubetur, libello respondere renuente, ad ulteriora tamen, quasi lis fìctè contestata jam sit, non proceditur: imò processus, tanquam lite non contestata factus, irritus declaratur, cit. Maranta n. 12. & Haunold.

Tom. 5. de J. & J. tract. 5. n. 438. Dubium tertio est, quando liti contestatio impediatur. Impediri, si reus expressè protestetur, se aliò, quàm litigandi animò respondere, patet ex dictis.

Neque obstat; quòd protestatio actui contraria nihil operetur, l. Cùm in plures 6. §. 6. ff. Locati; quia dicta protestatio factò contraria non est; cum eà, reus solummodo neget, se respondere eò animò & intentione; ut litem ingrediantur: quod verum, & factò contrarium non est. Aliud esset, si actori responderi iustus, ab eo narrata, ut narratur, & petitionem Jure fieri, simul negaret, & protestaretur, se non respondere; talis enim protestatio factò esset contraria; & propterea, eà non obstante, liti contestatio induceretur, Panormit. in c. Unic. cit. n. 17. & Bartol. in l. Unicam, C. hanc Rubr. n. 15.

Præterea liti contestatio impeditur vel retradatur per oppositam fori declinatoriam, vel aliam dilatoriam exceptionem, vg. quà reus exciperet, iudicem aut iudicii locum non competentem, actorem excommunicatum, aut aliàs legitimam personam standi in iudicio non habere, procuratorem sufficienti mandatò non instructum, vel aliàs insufficientem aut inhabilem esse, cum; quia hujusmodi exceptiones tantum opponuntur ad declinandum iudicium & processum impediendum: tum verò; quia ex parte rei, eas opponentes, deficit responsio ad petitionem actoris & animus litigandi, cit. Panormit. n. 18. & Bartol. n. 6. Unde hujusmodi exceptiones regulariter ante contestationem liti & principalis causæ cognitionem opponi debent, c. Inter 20. ibi, Quas tanquam dilatorias ante liti ingressum opponere debuisse, de Sent. & re judic. c. Pastoralis 4. de Except. l. Si quis 12. & l. fin. C. de Except. aliàs, eas postea opponere

opponere volens, non audietur; quòd talem exceptionem scienter & cum posset, non opponens, ei tacite renuntiare censeatur, *cit. Maranta memb. 9. à n. 7. Regulariter*, inquam, propter varios casus, quibus exceptiones dilatorias etiam post litem contestatam admitti, statuetur *Tit. 25. à n. 24.*

17. Eandem etiam Peremptoriis, sive merita causæ concernentibus, exceptionibus aliquando impediri, non obscure traditur à Bonifacio VIII. *c. 1. in 6.* adhibitâ tamen inter eas distinctione; vel enim peremptoriis exceptionibus opponitur, nullam actionem unquam ortam: vel eam, quæ aliquando orta fuit, per sententiam & istius transitum in rem iudicatam, per transactionem, iusjurandum, factam solutionem jam esse extinctam, & competere desuisse: vel huiusmodi exceptiones tendunt ad actionem, quæ orta est & competit, perimendam sive elidendam?

Si prius, peremptoriis exceptionibus oppositis ante litem contestationem, ista impediatur: ut de opponentibus, actionem nunquam ortam, docet Bartol. *in l. Nam possequam 9. ff. de iurejurando n. 7.* & laudet ratio; quia nullam habens actionem alterum in iudicio convenire non potest, *l. Si pupilli 6. §. 12. V. certè, ff. de Negot. gest.* De iis verò, quibus actionem jam esse extinctam, opponitur, disertè habetur *c. 1. cit. ibi, Nisi de re iudicata seu finita excipiat litigator.* Ratio est de his: quia ex una, obligatio & actio semel extincta non amplius reviviscit, *l. Qui res 38. §. 8. V. Neque admissum, ff. de Solut. ex altera verò parte, sententiæ definitivæ in rem iudicatam transitu, c. Cum inter 13. de re iudic. Transactione c. 1. & l. Causas 16. C. de Transact. iurejurando, l. Iusjurandum 2. ff. de iurejurando, solutionis exhibitione, l. Nulla 5. C. de Solut. & pr.*

Instit. Quibus modis oblig. toll. actiones & obligationes extinguuntur, Glossa in c. 1. cit. V. Finito, ubi Franc. n. 18. & Maranta cit. memb. 9. n. 12.

Si posterius & exceptiones peremptoriæ ad actionem, quæ competit, perimendam tendunt, litem contestationem iis non impediri, *c. 1. cit.* clarè habetur. Ratio est; quòd huiusmodi exceptio sit exclusio actionis, & ad perimendam actoris intentionem tendat, *l. Exceptio 2. pr. ff. de Except.* actio autem, ut excludatur & perimatur, proponenda sit in iudicio, quod constituitur per litem contestationem, *Francus in cit. c. 1. n. 2. & 18. & Speculat. de Except. §. 3. à n. 1.*

Porro litem contestatio, ex parte tam ipsius iudicis, quam personarum litigantium, hisque accessoriarum varios & maximi momenti effectus habet; præterquam enim, quòd, ut dictum, eâ constituitur iudiciu; ut in causa ad testiu aliarumq; probationum receptionem & ipsam sententiam definitivam procedi possit, illa

19. Primò perpetuationem jurisdictionis iudicis delegati, quam citatio inducit, per textum *c. Gratum 20. de Offic. deleg. & ibi tradita à n. 87.* ita firmat; ut non solum delegantis morte non expiret: sed ille, nisi ex nova suspitionis causa recusari, *l. Nemo 4. C. de Jurisdic.* eique fori declinatoriæ & aliæ dilatoriæ exceptiones, nisi de novo exortæ, vel antè incognitæ fuerint, opponi amplius non possint, *c. Inter 20. l. Si quis 12. & l. fin. cit.* cum ipsâ litem contestatione partes in iudicem, ejus etiam jurisdictionem prorogandò, consensisse, & exceptionibus, ante non oppositis, renuntiâsse censeantur.

Secundò, per eam litigantes in ordine ad iudicii instantiam, quæ ab ejus factæ tempore currere incipit, *l. Properandum 13. C. de iudiciis*, se obligâsse & quasi contraxisse censentur; ut eorum unus, al-

verò invitò, recedere non valeat, quin tanquam temerarius litigator ad omnia damna & expensas teneatur, *arg. §. 1. V. Hæc autem, Institut. de Pena temerè litig. & obligetur ad id, quod per sententiam iudicabitur, perinde, ac si aliàs verè contraxisset, Felin. in Rubric. de Sent. & re iudic. n. 23. & Gaill. cit. Observat. 74. n. 7. & propterea, si ab adversario exactum calumniæ juramentum præstare alter recuset, actor quidem ab instituta actione cadat, reus verò habeatur pro confesso, *c. Imperatorem §. 1. cum & iudices 2. §. 6. & Aurb. Principalis C. de Jur. calumn. &* si legitime citati non compareant, in eos tanquam contumaces procedatur, ut *Tit. 14. & 15. pluribus declarabitur.**

21. Tertiò, lite contestata mutari nequit Libellus, juxta dicta *Tit. 3. n. 21. &* absque rationabili causa revocari nequit procurator; cum per eam factus sit litis dominus, *l. Procuratoribus 22. C. & c. Quamvis 2. de Procurat. in 6. &* propterea ejus mandatum principalis sive mandantis morte non finiatur, *l. Nulla 23. &* alium constituere sibi ipse possit, *l. Quod quis 8. §. 1. Neque 11. C. eadem Rubr.*

22. Quartò, eadem non solum interruptitur præscriptio longi temporis decem & viginti annorum, à reo inchoata, *l. Mora 26. C. de R. V. sed* insuper bonæ fidei possessor in mala fide ac mora constituitur, in ordine ad fructuum restitutionem; quòd non amplius habere videatur ignorantiam rei alienæ, *l. Certum 22. C. Rubr. cit. Unde*

23. Dubium nascitur, quomodo rei possessor post litem super ea contestatam in mala fide indiscriminatim constituitur, *l. Certum cit. imò* prædonis instar haberi queat, *l. Si quid possessor 31. §. 3. ff. de Hæredit. petit. cum* contrarium Jus & ratio evincere videatur. Jus quidem; quòd inter moras litis bonæ fidei possessor di-

catur, *l. Si bona 49. ff. Rubr. cit. &* fundi sibi venditi possessor bonæ fidei emptor intelligi seu reputari debeat, quamdiu fundus non fuerit evictus, *l. Qui scit 25. §. fin. ff. de Usur. & Fruit. Ratio* verò; quia nequaquam legitima & convincens illatio est, si quis ita arguat: Titius fundum, quem à Cajo bona fide emit, Sempronio eum in iudicio petenti non restituit ante sententiam. Ergo, hæc contra Titium latâ, fundum ab ipso ex die contestatæ litis mala fide possessum, apparet. Non, inquam, legitima hæc illatio est; quia Titius ob litem sibi motam jus suum temerè indefensum relinquere, *l. Illud quoque 40. in fine, pr. ff. de Hæredit. petit. &* fundum Sempronio restituere non tenebatur: & potuit credere, fundum à se justè possideri; atque idcirco super eo bona fide justèque iudicium subiisse; aliàs enim quicumque actione aliqua reali conventus eò ipsò malæ fidei obnoxius esset: quòd utique indignum & à ratione alienum est, cum; quia mala fides est delictum & affinis dolo: qui, uti & delictum, non præsumuntur, *c. fin. de Præsumpt. §. 1. Meritò 51. ff. Pro Socio. sed* perspicuis argumentis atque indicis probanda sunt, *l. Dolum 7. C. de Dolo & c. fin. in fine, de Renuntiat. in 6. tum* verò; quia, lite super fundi dominio jam contestata, adhuc dubium est & esse primùm incipit, an justè injustè à Titio possideatur, an iudiciò per sententiam finitò illum restituere oporteat, aut valeat retinere: dubiò autem superveniente quis circa rei possessionem bonam fidem & conscientiam, quam circa illam illæsam ante habuit, retinere censetur, donec, illam alienam esse, sciat aut legitime probetur, juxta illud S. Augustini *can. Si Virgo, 34. q. 1. relati, In jure prædiorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor restituisse dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum: cum verò scierit, aut legitime convictus*

convictus fuerit, *neo ab aliena possessione recesserit, tunc male fidei possessor perhibetur.*

24. Quare malæ fidei non indiscriminatum omnis, quocum super re v.g. fundo contestata est lis, sed is tantum possessor post latam contra eum sententiam habendus est, qui injustæ possessionis habuisse scientiam, temerèque litigare, quàm cedere maluisse, perspicuis argumentis fuerit convictus; cæteri autem malæ fidei possessoribus ac prædonibus, quales revera non sunt, nec retro censi possunt, eatenus duntaxat post sententiam æquiparantur; quòd, sicut illi, sic & ipsi ex die litis contestatæ istiusque vi omnes fructus restituere teneantur, non in pœnam, sed ex quasi contractu, litis contestatione inducto & obligante; ut fructus lite iam contestata percipiendos & casu, quò in iudicio victi fuerint, restituendos custodiant, nec temerè consumant, ut cum Cuiacio *Lib. 20. observat. 35.* advertunt Hilliger

in Donelli *Comment. Lib. 19. cap. 14. lit. O. & Bruneman. in l. certum cit. n. 12.* 25.

Quintò, eadem actiones, ex natura sua Temporales & morte perituræ, perpetuantur, ut ad 40. annos, à litis contestatæ die numerandos, extendantur, *l. fin. C. de Prescript. 30. vel 40. annor. l. 5. §. 1. in fine, C. de Annali except. & actiones* 26. Pœnales, ex delicto vel quasi delicto descendentes, ad hæredes & in hæredes in solidum transeunt, §. 1. *Instit. de Temp. & perpet. act.* quantumvis aliis ex Juris Civilis dispositione non nisi, quantum ad istos pervenit, competere, *l. Unie. in fine, C. de Delict. defunct.* Plura de litis contestationis effectibus dabunt Hostiens. in *Summa, hic n. 5. & Speculat. de Litis contest. §. penult. & ult.* Hic monuisse juvat, relatos & cæteros effectus litis contestatione, solum validà, induci, *Auth. Offeratur in fine, C. hic;* cum, quod nullum est, nullum producat effectum, *l. Si se non obtulit 4. §. 6. ff. de Re judic.*



TITVLVS VI.

Ut, lite non contestatâ, non procedatur ad Testium receptionem, vel Sententiam definitivam,

SUMMARIUM.

1. Rubrica hæc continet Regulam :
2. Quæ nititur magna ratione,
3. Et de negotio solum principali procedit.
4. Lite non contestata testes recipiuntur I. Cùm actor contumaciter abest.
5. II. Cùm per Inquisitionem generalem :
6. Non etiam, cùm per specialem proceditur.
7. III. Cùm agitur de valore conjugij Carnalis,
8. Et reus contumaciter abest.

g. Sine